

videlicet partem meam et quicquid iuris ibi habebam vel habere poteram. Nichilominus de vineis de Saranjac de illa pecia, quam infantes Boneti tenent, cum sua divisa, de illa, quam tenent sanctimoniales Ferri, que fuit Hervei parvi, de illa, que fuit eiusdem Petri de Melfia, quam dedit filiabus suis in contractu matrimonii, de illa, que fuit Ade de rua obscura, de illa, que fuit Andree canbiatoris, de illa, quam tenet Paganus, filius Basili, et Sibilla, uxor Petri de Avionun, de omni redditu et de omni jure, quod ibidem habebam vel habere poteram, dono prenominato Petro et heredibus eius partem meam, decime videlicet medietatem libere et quiete, sine omni actione curie, remota omnium hominum, qui vivere possunt et mori, calumpnia, ut habeant liberam potestatem vendendi, invadiandi seu quoquomodo voluerint alienandi et omnem voluntatem suam faciendi. Pro quo donavit mihi idem Petrus CC bis. et cuppam 1. trium marcharum argenti. Quod ut firmum sit et deinceps inconstans permaneat, litterarum inscriptione et sigilli mei principalis impressione munio atque confirmo. Huius rei testes sunt Huduimus de Marrot, Silvester consanguineus meus, Rogerius de Surdavalle, Guiscardus de Insula, Simon Burgewinus dux Antiochie, Johannes de Salquino.

Data per manum Alexandri Apamie canonici. Anno ab incarnatione domini M° C° LXX° IIII°, principatus mei XI°, mense Januario, die VII<sup>a</sup> mensis eiusdem.

*Venedig, Archivio di Stato. Atti dipl. misc. B. 9, n. 281.*

## 2.

**1214. August 23. Johannes, Abt des Klosters auf dem Berge Tabor, schenkt dem Schreiber Belvays ein früher dem Paganus von Caifa gehöriges Stück Land in Accon.**

**N**otum sit omnibus presentibus et futuris, quod ego Johannes, dei gratia ecclesie montis Thabor humilis abbas, assensu capituli nostri damus et concedimus tibi, Belvays scriptori, confratri nostro, et heredibus tuis ad censem quandam petiam terre iuxta domum tuam, que est Accon, a parte meridionali sitam ad faciendum in ea et de ea, quod tibi placuerit, salvo censu nostro. Que videlicet petia terre a parte orientali domui, que fuit Pagani de Cayphas, coheret et a parte occidentali domui, que fuit Gaufredi Torti. Pro qua petia terre viginti bisantios sarracenatos nobis donasti et unoquoque anno ad festum transfigurationis domini duos bisancios sarracenatos censuales ecclesie montis Tabor dare et reddere teneris, tu videlicet vel quicunque post te predictam terram possidebit. Ut autem hec nostra donatio et concessio rata in eternum et inconcussa permaneat, presentem cartam per abecedarium scriptum sigillo nostro et testibus subscriptis fecimus communiri. Huius rei testes sunt frater Gandulfus monachus, frater Fulco, frater Rozerius, magister Balduinus, regius clericus. Actum anno ab incarnatione domini M° CC° XIIII°, decimo Kal. Septembris.

*Venedig, Archivio di Stato. Atti dipl. misc. B. IX, n. 287.*